

ius distinctionis denominationem. Cumque aequali Officiorum omnium V. Provinciae distributionem, inter praefatas distinctiones, atque in favorem dignorum ex qualibet in hoc vestro Capitulo Provinciali jam fecerimus, atque e ratione jam cunctis sopitis litibus, quod experimentum vobis notissimum praefati medii vim & efficaciam indubie prodit, & comprobat; hocque unum nobis superfit modo curandum, ut eadem pax inducta perpetua sit, & nulla valeat ratione turbari, ea de causa opportunum atque omnino necessarium judicavimus, media ad illam pacem conservandam, nempe praefatorum Officiorum distributionem retinere, favore, & praeepto nostro, atque auctoritate firmare, in eum finem sequentia decernendo.

Primo. Ut post Superiores omnes hujus vestrae Provinciae per successivam mutationem fiant, scilicet, ut Provincialis per turnum, modo ex Avernorum, modo ex Lemovicensium, modo ex altera distinctione, quam tertiam, seu Parlamentii Tolosani vocant, instituat.

Secundo. Ut immediate post Provincialis electionem idem R. P. Provincialis ex altera distinctione Socium sibi assumat, & cum in vestra Provincia tredecim tantum Conventus sint, ut ex ea natione, ex qua in proximo Capitulo Provincialis erit assumendus, quinque eligantur Priores, ex aliis vero singulis quatuor tantum.

Tertio. Ut quaelibet distinctio, aut Socium unum iturum ad Capitulum Generale, aut Provinciae Custodem suppediet.

Quarto. Ut ex ea distinctione, seu natione, ex qua R. P. Provincialis assumendus est, unus tantum Diffinitor in posterum eligatur, ex ea vero, ex qua Assistent alter, & ex illa tandem unde neque Provincialis, neque Assistent assumendi sunt, duo reliqui Diffinitores assumantur.

Quinto. Ut Novitii etiam, ex aequo admittantur, poterit tamen Provincialis in casibus extraordinariis unum, aut alterum pro sua prudentia superaddere.

Sexto. Ut mortuo, vel assumpto aliquo intra Triennium Diffinitore, non qui vota simpliciter plura habuerit in ultimo Capitulo ei succedat, sed ille tantum, qui plura vota inter eos, qui ad eandem cum mortuo, vel assumpto distinctionem spectant, habuere.

Septimo. Ut mortuo, vel assumpto, aut alia ratione absoluto Provinciali, (quod de Assistenti pariter intelligendum est) in illius locum ejusdem tantum distinctionis Religiosus substituatur: tuncque tunc primus Diffinitor, sed ille tantum, qui cum mortuo, vel amoto distinctionis est Provinciam regat, & tres pariter ejusdem distinctionis Religiosos nominari, & Rmo P. praesentari curet, ut ex illis unum in Vicarium Provinciale assumat juxta formam numero sexto Cap. 7. part. 3. Constitutionum praescriptam.

Octavo. Ut mortuo, vel assumpto, aut amoto aliquo intra Triennium Priore; alter etiam ejusdem distinctionis a Diffinitorio, aut Provinciali subrogetur, itaut illa electio, ut, & caetera electiones Prioris aliter facte, eo ipso irritae sint, ut si nulla distinctio, sive in Diffinitorio, sive in aliis Officiis, summa cum aequitate distributis, alteri prevalere ulla ratione possit.

Decreta pro servanda alternativa.

Nono. Alia item Officia, quae a Diffinitorio replentur, juxta praefatam aequalitatem distribuantur, velut Lectoratus, Supplicator, Magister Novitiorum, & Professorum; itaut si quid in una natio aliquo Triennio in Officiis indivisibilibus sortita sit, illud sequenti Triennio altera fortiatur.

Et haec omnia Decreta sub Summis Pontificibus beneplacito sancita sunt.

§. 4. Ceterum cum ad fovendam pacem politica haec media sine speciali Dei auxilio non satis efficacia sint, ad illud a Deo impetrandum praeter haec nostra Decreta exactam etiam Constitutionum Reformationis praxis necessariam esse judicavimus, atque adeo omnes Superiores hortamur, ut quae in eorum officio erga inferiores exercenda praescribuntur, summa cum charitate, & Justitia adimpleant. Inferioribus vero enixe volumus commendatum, utque tam sancte circa assistentiam Cleri, orationem mentalem, & mansionem in Cellulis ordinata sunt fideliter exequi curent, Supremo Judici rationem ea de re aliquando tandem exactissime reddituri. Datum in Carmelo nostro Albiensi die Maji 17. anni Domini 1693. = Fr. Angelus a S. Terefia Commissarius, ac Visitator Generalis, qui supra = Locus sigilli, & infra Signatum = Fr. Saturninus ab Assumptione Assistent Admodum R. P. Commissarii, & Visitatoris Generalis.

Exhortatio ad executionem Constitutionum

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta hujusmodi, reservato desuper nostro, & hujus Sanctae Sedis beneplacito ac tunc approbatione dilecti pariter filii moderni Prioris Generalis dicti Ordinis facta fuerint; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Approbata a Priori Gen.

§. 6. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum Vicarium Generalem dicti Ordinis super praemissis audiverant, consilio, Decreta praesentia a memorato Angelo Commissario, & Visitatore Generali, ut praesertur, edita auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet interveniant supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicut in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios

Classulae.

dinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praedictorum Ordinis, & Provinciae, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & insufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCXCV. Pontificatus Nostri An. Quarto.

C. IV.

Conceditur Congregationi Discalceatorum Hispaniae Ord. SS. Trinit. Redemptionis Captivorum facultas sibi eligendi Judices Conservatores.

Dat. 23. Apr. 1695. An. 4.

Haec facultas concessa fuit toti Ordini a Nicolao V. anno 1447, & ab aliis Pontificibus. Hujus Pontificis Consi. ed. 1693, Jan. 27, P. 2 privilegia aliorum Regularium. Et Clem. XI Consi. ed. 1703, Nov. 21, P. 3 praed. Discalceatis conceditur facultas utendi Altari Portatili, & absolvendis a Causibus reservatis in locis Infidelium.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Hoc privilegium concessum fuit diversis temporibus toti Ordini B. M. de Mercede.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a Jesu Procurator Generalis Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum alias nempe anno 1447. fel. record. Nicolaus Papa Quintus Praedecessor noster Fratribus dicti Ord. Regnorum Castellae, & Legionis Privilegium eligendi sibi Judices Conservatores concesserit, ac subinde alii Romani Pontifices Praedecessores pariter nostri Fratribus praedictis in aliis Regnis, & Provinciis degentibus idem privilegium attribuerint, privilegii hujusmodi, necnon communicationis privilegiorum, quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur, Ordini praedicto per Sedem Apostolicam concessu intuitu, Congregatio tunc existentium S. R. Eccl. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad Fratrum ipsius Ordinis praesentibus licere eis continuare in quasi possessione Juris deputandi Judices Conservatores pro Conventibus ejusdem Ordinis ubicumque existentibus, postmodum vero, nempe die 10. Septembris 1660. Congregatio tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita Ordini Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum

vigore communicationis dictorum Privilegiorum ei per Sedem praedictam itidem concessa Jus eligendi sibi Conservatores pro suis Conventibus etiam competere per suum Decretum desuper editum similiter declaravit, Decretumque hujusmodi rec. mem. Alexander VII. etiam Praedecessor noster per quosdam suas in simili forma Brevis subinde expeditas Literas confirmavit.

Causa Concessionis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tamen Jus hujusmodi multo magis supradictae Congregationi Fratrum Discalceatorum Hispaniae, quae (ut asseritur) non diversam, sed eandem cum praedicto Ordine Sanctissimae Trinitatis, cui, ut praesertur, eodem Jure, uti concessum fuit, Religionem constituit, & amplissimum privilegiorum communicationem sibi a pia mem. Urbano PP. VIII. Praedecessore pariter nostro anno 1634. concedi obtinuit, competere videtur, nempe tam ex privilegio sibi proprio quam vigore ejusdem communicationis, nihilominus, ne ullus relinquatur de jure hujusmodi deputandi locus, nec illud, quando se offert occasio eo utendi in controversiam revocari contingat, incidenterque desuper accessorie disceptationes principalis causae decisionem impediunt, dictus Petrus Procurator Generalis ipsi Congregationi Hispaniae facultatem eligendi sibi Judices Conservatores tam pro Conventibus ipsius Congregationis, quam pro bonis in Redemptionem Captivorum impendendis competere, servata tamen forma Constitutionum similis Clementis Papae VIII., & Gregor. Papae XV. Praedecessorum pariter nostrorum a Nobis declarari plurimum desideret. Nos ipsius Petri Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum dictae S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, eidem Congregationi Fratrum Discalceatorum Hispaniae facultatem eligendi sibi Conservatorem, servata forma Constitutionis dicti Gregorii Praedecessoris, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & impartimur. Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis secundo dictorum Cardinalium.

Preces Procuratoris Gen.

Concessio praed. juxta Constitutiones Clem. X.

Classulae.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicut in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus cura animum nostrum sollicitat, ut promovenda, atque excolenda inter viros Religiosos Altissimi obsequiis sub suavi Monasticae Vitae jugo mancipatos regulari disciplinae peculiari studio, summaque animi contentione incumbamus; ac proinde ea, quae simili constituta, ac ordinata esse noscuntur consilio, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis praesidio libenter corroboramus, eoque tendentia illorum Superiorum in partem sollicitudinis nostrae vocatorum, ac praesertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium vota paterna charitate exaudimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpenfis ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

In frequentia Statuta condita fuerunt in Cap. Gen. 1693.

S. 1. Exposuit siquidem nobis nuper Vener. Frater noster Emmanuel Theodosius Episcopus Albanen. S. R. E. Cardinalis Bullionius nuncupatus Monasterii Cluniacen. totius Ord. Cluniacen. Capituli perpetuus Commendatarius, quod pro felici, prosperoque dicti Ordinis, ejusque Monachorum regimine, & directione nonnulla Statuta, seu Decreta in Capitulo Generali ipsius Ordinis, quod novissime videlicet anno 1693. in eodem Monasterio, ipso Emmanuele Theodosio Episcopo Cardinale, & Commendatario in eo praesidente celebratum est, edita fuerunt; quae cum nobis pro parte ejusdem Emmanuelis Theodosii Episcopi Cardinalis, & Commendatarii exhibita fuissent, Nos illa mature, ac diligenter examinari, & revideri, ac ubi opus erat, corrigi, & aptari curavimus, unde reducta fuerunt in formam tenoris, qui sequitur, videlicet: *Capituli Generalis Ordinis Cluniacensis anno 1693. celebrati acta, & Statuta, anno Domini 1693., die Dominica II. Octobris post Pentecosten vigesima secunda.*

Locus Diffinitorii, & Diffinitores.

Facta fuerunt Diffinitiones sequentes, in Camera Diffinitorii, Monasterii Cluniacensis, & fuerunt Diffinitores ii, qui sequuntur auctoritate Apostolica electi, & deputati: Praesidente Emno, & Rmo DD. Card. Emmanuele Theodosio a Turre Avernica, Abbate Generali ejusdem Monasterii, & totius Ordinis, videlicet.

Reverendus Dominus Ludovicus de Nangis, Prior Major Abbatiae, & totius Ord.

Reverendus Dominus Carolus dela Motte, Prior Claustralis Monasterii B.M. de Charitate, Sac. Theologiae Professor.

Reverendus Dominus Hieronymus Cocquelin, Collegii Dolensis Principalis, & Comitatus Burgundiae Vistator.

Rev. Dom. Claudius de Vert, Thesaurarius Cluniacensis.

Rev. D. Odo Bernerd., Prior Sanctorum Petri, & Pauli de Radolio.

Reverendus Dominus Eusebius de Combronne, Prior Claustralis Sanctorum Petri, & Pauli de Sylviaco.

Reverendus Dom. Hugo Cleuzel, Prior Claustralis Sanctorum Petri, & Pauli de Coinciaco.

Rev. D. Antonius Tevein, Decanus, & Prior Claustralis de Moyraco.

Reverendus Dom. Joannes Henricus de Barbon, Prior, & Camerarius Abbatiae Sancti Theofredi Monasteriensis.

Reverend. Dom. Ildefonsus Sarrazin, Prior Claustralis S. Martini a Campis Sacrae Theologiae Professor.

Reverendus Dom. Ludovicus Moureau, Prior Collegii Cluniacensis in Titul. Doctor in utroque Jure.

Rev. D. Stephanus de Nesmond, Prior Claustralis de Abbatis Villa.

Reverendus Dom. Joannes Baptista Graviers Prior Claustralis Sancti Marcelli de Sauzeto.

Rev. Dom. Claudius Roland, Prior Claustralis de Thiziaco.

Reverendus Dominus Michael Petrus du Perray, Prior Claustralis de Nogento Rotrodi.

Auditors Causarum.

Rev. D. Paulus Rabuffon, Sub-Camerarius Cluniacensis.

Reverendus Dominus Benignus de Vert, Prior Claustralis de Lehuno in Sanguine Jersu.

Auditors excusationum.

Rever. Dominus Jacobus de la Motte Prior Claustralis S. Dionysii de Carcere.

Rever. Dominus Joannes Marin, Prior dea Sezanna.

S. 2. Spes, quae disfertur, affligit animam, divino testante oraculo. Diffiteri sane non possumus eandem esse dilato bono afflictionem, in maximum Spirituales letitiae argumentum converti, ubi illi, qui sicuti justitiam, & ante omnia debent Regnum Dei querere, videant appropinquare tempus acceptabile, & dies salutis. Tunc enim sollicitudine non pigri, in restituendo pro viribus per Decreta Capituli Generalis Sac. Ordinis Cluniacensis anni millesimi sexcentissimi octogestimi quinti primario nitore, & splendore, spe gaudentes jam sumus. Vox turturis audita est, vinea dederunt odorem suum, flores apparuerunt in Terra nostra mox daturi fructus uberrimos, fructus pietatis, honoris, & honestatis. Nunquam porro major fiducia cor nostrum ad bonum perficiendum, accendere debet, quam dum videmus colligata, & inter se conglutinata, Sanctissimis concordiae vinculis vota, & desideria Summi Dom. Nostri Innocentii PP. XII. & Regis vere augusti, vere magni, ut Eiusmodi Cardinalem Bullionium Abbatem nostrum, & caput totius nostrae Congregationis, auctoritate sua in restauranda disciplina Regulari Ordinis Cluniacensis adjuvent, faveant, & protegant. Is est Summus Pontifex, qui sollicitus, quomodo uni Deo placeat, Evangelizat pauperibus, panem parvulis frangit, qui intelligit super egenum, & pauperem, qui surdo auris, claudo baculus, oculus caeco, demum omnibus omnia factus est propter Christum, cujus vices gerit in Terra, ut omnes adjuvet, confortet, & Christi faciat. Regem vero habemus opitulantem, Regem quem Deus de Monte Sancto suo conservet, & vivificet, Re-

Procurium ex tempore opportunitate petimus.

Regem secundum cor suum, qui dum excelsa a finibus Terrae abstulit, opprobrium illico ab Israel sustulit, & veterem delevit ignominiam, qui irascentibus, frustra frementibus, & tabescentibus populis illis, qui ruperunt pacta Testamenti Dei vivi, omnes in unum colligatos conterit in circuitu, & in magnitudine brachii sui. Ex aula denique convolvavit Abbas Eius, qui cum sit de semine Virorum illorum, per quos salus primo facta est in Ordine Cluniacensi, vere Pastor, & vere Episcopus animarum nostrarum, venit Evangelizare pacem, & mirifica prudentia, incredibilique lenitate, sub auspiciis Pontificis, & regis opus nostrae restorationis toties tentatum sed haecenus incompletum aggredi, & nobis in unum conspirantibus perficere non recusat. Quem sane Deus adjuvet in tam Sancto proposito.

Plurima Causa Statutorum.

S. 3. In primis cum nobis praecipue incumbat pristinos mores, & antiquas leges, quibus Ordo Cluniacensis tandiu floruit renovare, & in quantum in nobis erit restituere, inquisivimus causas, quibus disciplina regularis, aut collapsa, aut labefacta fuit ut iis cognitis radices malorum, quae sensim irrepserunt amputemus, & reseceamus. Sane agnovimus faciliorem, & frequentiore, tam Religiosorum Mendicantium, quam ceterorum Ordinum ingressum, alienos mores & in Ordine nostro invexisse: necnon licentiam, & facultatem, quam quidem inter Abbates, & Priores Commendatarios sibi arrogare voluerunt concedendi loca, seu portiones Monachales personis saepe sine ullo delectu in Ordine magnum dedecus intulisse. Et licet Summi Pontifices nunquam intendant, dum provident Monachis jam professis expresse in Ordine Sancti Benedicti, de Beneficiis Ordinis Cluniacensis, eorum translationem, aut migrationem confirmare, nisi prius idonei, & capaces probati fuerint, tamen consuetudo pessima invaluit, ut tales provisus a Summo Pontifice, vel a Collationibus Ordinaris nova probationi, & professioni in Ordine se nolint subijcere: Unde plerumque evenit, ut laxiori, & emissiori vivendi modo additi, nec ritibus Ordinis instructi sensim nostrorum mores corrumpant. Plerique etiam sub spe, aut pretextu melioris frugis ineunda, a Sede Apostolica sibi faciunt provideri de Beneficiis, aut officiis Claustralibus Ordinis Cluniacensis cum Decreto habitum Regularem suscipiendi, sed ubi primum illa Beneficia, aut officia obtinuerunt, se nullo examini existimant subijciendos. Et si contingat eorum mores, aut vocationem non probari recurrunt ad alios, & ad Episcopos locorum, in quibus Beneficia sita sunt, qui ipsos ad professionem Regularis Institutis adversatur, quia ut ait S. Pater Benedictus: *Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus, sed ut ait Apostolus: probate Spiritus si ex Deo sunt.* Visum est etiam nobis consuetudinem peragendi novitium in quolibet Monasterio sua habere incommoda, & vix in Monasteriis in quibus non potest Monachorum sufficiens numerus sustentari, Divinum Officium cum ea, qua decet reverentia posse celebrari: Necnon in illis Monasteriis proprietatem necessario foveri, in quibus Vestiarum loco, aut pensionis Monachalis nomine certa pecunia Monachis annuatim persolvitur, nec

posse hunc abusum prorsus a proposito regulari deviantem tolli, nisi vita communis in singulis Monasteriis restauraretur, necnon aliquis modus adhibeatur in regimine, seu administratione fructuum, reddituum, & obventionum, quae cuilibet Monacho possunt competere ratione Officii Claustralis, aut Beneficii de quo provifus est in titulum. Observatum est etiam a Visitatoribus Provinciarum saepe utile esse, & commodum pro bono pacis, & Religionis Monachum de uno Monasterio ad aliud migrare ad tempus, & providendum esse, ne sub pretextu stabilitatis Monachi inhobedientes fiant. Insuper ex frequentiori Superiorum mutatione ex una parte, & ex eorundem perpetuitate ex alia non modicum hucusque provenisse incommodum animadversum est. Tandem cum Collegia Monachorum erudientiorum causa sapienter a majoribus nostris instituta fuerint, & licet antiquitus in illis praefici deberent viri providi, & literarum Divinarum, & humanarum peritissimi, ut alios verbo, & exemplo instruerent, qui quidem ad nutum Abbatis Cluniacensis poterant amoveri: tamen convenientibus, immo aliquando faventibus Superioribus Ordinibus, Administrationes quaedam eorundem Collegiorum consueverunt dari in titulum, unde potest saepius evenire, ut conferantur Monachis, qui licet aliunde capaces, & idonei, tamen non habent certam industriam, & providentiam, quae in talibus muneribus obeundis necessaria est, & cum bonum privatum debeat cedere publico, & communi, propositum est media omnia adhibenda, ut deinceps ejusmodi administrationes non conferantur in titulum. Quibus omnibus mederi cum necessarium judicatum fuerit, maturo examine ponderatis, & perpetuis omnibus hinc inde rationibus Statuta, & ordinata sunt, quae sequuntur.

De recisionis aliorum Ordini Religiosi.

S. 4. Statutum est ne deinceps ulli Monachi Professi in aliis quibusve Ordinibus Regularibus, nullive Religiosi mendicantes admittantur, seu recipiantur in Monasteriis Ordinis Cluniacensis, nisi prius de suorum Superiorum consensu, & Sedis Apostolicae licentia necnon, & de consensu Abbatis Cluniacensis per legitima documenta appareat, & nisi benevolos receptores in uno e Monasteriis Ordinis nostri invenerint, eaque lege, ut de novo in uno e Conventibus ad Novitium ceterorum in Ordine admissorum designatis, annum probationis cum effectu compleant. Nec admittantur ad Professionem Regularem in Ordine Cluniacensi emittendam, de licentia Abbatis Cluniacensis secundum Statuta Ordinis, nisi a Monachis ejusdem Conventus, in quo Novitium expleverint capitulariter congregatis via Scrutinii secreti, & saltem a majori parte capituli capaces, & idonei fuerint iudicati.

S. 5. Nullus deinceps Abbas, aut Prior Commendatarius se intrumittat de suscipiendis Monachis, sed secundum Regulam S. P. Benedicti deligantur, & probentur a Monachis ejusdem Conventus, in quo recipi debent. Nec liceat ejusmodi Abbatibus, vel Prioribus Commendatariis disponere de Mansionibus, locis, seu portionibus Monachalibus, sed earum dispositio prout jam sancitum est in Capitulo Generali anni 1676. pertineat ad Conventum, & Monachos.

De distributione portionum Monachalium.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S.Mariam Major. sub Annulo Piscat. die XXIII. Aprilis MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

C V.

Eriguntur duae Provinciae Lombardiae, & Romanae FF. Praedicatorum in duas Congregationes S. Sabinae, & S. Marci cum nonnullis Ordinationibus.

Consl. ed: 1693, Octob. 20, P. 3 agitur de Studentibus Provinciae Congregationis Sancti Marci Consl. ed: 1696, Jul: 23, P. 5 de electione Lectorum. Et Clem. XI Consl. ed: 1703, Martii 21, P. 3 confirmatur dismembratio quorundam Cenobiorum a Provincia Germaniae.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritum nostrorum suffragio per ineffabilem Divinae Sapientiae, atque bonitatis abundantiam evecti, in id praecipue peculiari studio, summaque animi contentione incumbimus, ut prospero, felicique Christifidelium, in fortem Domini assumptorum, & Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui, regimini, & progressui, quantum Nobis, ex alto conceditur, providere jugiter satagamus; ac proinde novas ejusmodi religionum virorum Congregationes pro data nobis caelitus potestate interdum instituimus, sicut personarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturae considerationis trutinam perpenis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Religionis incrementum, spiritualemque Christifidelium aedificationem, & animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

§.1. Regularem itaque disciplinam in Provinciis Lombardiae, & Romanae Ord. Fratrum Praedicatorum custodire, ac promovere, eamque quoad perfectam maturitatis frugem, aspirante superni favoris auxilio, protracta, Ecclesiam Domini uberius in dies bonorum operum fructibus latifcet, Apostolicae benignitatis favoribus excolere, ac felici infracriptorum, Conventuum earumdem Provinciae, Fratrumque in eis degentium statui, & gubernio, ac incremento salubriter consulere cupientes, necnon eorumdem Fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie

Dat. 14 Junii 1691. An. 4.

Exordium.

Causa Erectionis.

absolventes, & absolutas fore censentes; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R. Ecclesiae Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum super disciplina Regulari specialiter a Nobis deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Conventus Sanctae Sabinae de Urbe, Sancti Dominici Ravennaten. Sancti Dominici Ferrarien., Sancti Dominici Civitatis Sancti Severini, Sanctae Crucis, & Omnium Sanctorum Oppidi Boschi Dertonen., & Sanctae Catharinae Oppidi, seu Loci Tridini Casalen. respective Dieceps primordiae: Necnon Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & ejusdem S. Dominici Civitatis Sancti Miniatis, ac Hospitium Liburni Pisan. Dieceps, secundo dictae respective Provinciae, eorumque Fratres, & personas quascumque cum omnibus, & singulis illorum membris, Juribus, & pertinentiis universis ab omni, & quacumque Jurisdictione, Superioritate, Correctione, Visitatione, Regimine, cura, & Gubernio dilectorum filiorum modernorum, & pro tempore existentium Priorum Provincialium earumdem Provinciae tam in spiritualibus, quam in temporalibus tenore presentium perpetuo eximimus & plenarie liberamus.

§.2. Ipsosque Conventus in duas novas primam nimirum sub Sanctae Sabinae utriusque Lombardiae, secundam vero sub Sancti Marci Romanae respective Provinciae ejusdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quae dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali, sive ejus loco in eadem Romana Curia pro tempore residenti Vicario Generali Ordinis hujusmodi immediate subjacere debeant, ita ut in illas nulli alii ipsius Ordinis Superiores, praeterquam earum Vicarii, ceterique earumdem Congregationum Praelati juxta morem deputari soliti potestatem aliquam valeant exercere, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore praefatis pariter perpetuo erigimus, & instituiamus.

§.3. Ceterum in omnibus Conventibus de praesenti spectantibus, & qui deinceps spectabunt ad dictas Congregationes sic a nobis erectas, & institutas, Fratres omnes ad Regulae, quam professi fuerunt, praescriptum exacte vitam instituire, & componere, atque illa, quae communem vitam, victum, & vestitum concernunt juxta Concilii Tridentini, ac sel. rec. Clementis PP. VIII. Praedecessoris nostri Decretorum tenorem fideliter, ac inviolabiliter observare debeant, & omnino teneantur.

§.4. Utrique vero Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex Conventibus ejus Congregationis, cui is praesentibus erit, qui illam adjuvante Domino salubriter dirigere valeat, quique in Conventibus hujusmodi saltem per septennium exacte regularis observantiae specimen dederit, & quantum fieri potest alicui ex illis laudabiliter praeserit, a Magistro Generali praefato biennio in biennium provideatur.

§.5. Quod si Vicarium sic institutum ante completum sui Vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is qui Vicarii officio novissime functus fuerit, quatenus adit, si minus Prior antiquioris Conventus ejus Congre-

Motu proprio ed. Provinciae existuntur a jurisdictione Priorum Provincialium.

Item eriguntur in dd. duae Congregationes subiectas Magistro, vel Vicario Gen.

De vita communi juxta Conc. Trident.

De Vicario Generali eligendo

De Vicario in casu mortis.

gregationis, quae suo Vicario, sicut praemittitur destituta remanserit, in omnibus, & per omnia deficientis Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius a Magistro Generali supradicto fuerit institutus, teneaturque hic Pro-Vicarius statim de sequuta hujusmodi officii vacatione eundem Magistrum Generalem admonere, & ab eo novum Vicarium exposcere. Porro Vicarius pro tempore existens eandem prorsus jurisdictionem, & auctoritatem habeat in Conventus, & Fratres suae Congregationis, quam juxta Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis. Possit quoque idem Vicarius quoscumque Fratres Ordinis supradicti undecumque venientes suscipere, & eisdem de Conventibus praefatae suae Congregationis per deputacionem, vel assignacionem providere.

§.6. Quod tamen Criminosi, juxta dicti Clementis Praedecessoris Decreta nullatenus prodesse poterit, non autem intelligantur iidem Fratres Congregationi hujusmodi incorporati, nec in Priores, aut Magistros Novitiorum institui valeant, nisi post quadriennium, eoque durante, si ad suos Conventus, vel Provincias redire voluerint, licentia eis abeundi libere concedatur. Praeterea nulli ex Fratribus dictarum Congregationum, sive intra eas habitum susceperint, sive aliunde per quadriennium, ut praefertur incorporatus fuerit, permittatur transire ad Conventus extra suam Congregationem nisi de licentia Vicarii, una cum Consilio sex graviorum Patrum ejusdem Congregationis, quae tamen licentia non facile detur, sed omnimoda diligentia, & charitatis-officia adhibeantur, ut abire volentes in suscepto vitae instituto confirmantur; quod si adhuc in discedendi voluntate permanserint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento sint.

§.7. Decernentes easdem praesentes literas, & in eis contenta quacumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, praerogativae, & dignitatis existant, aliis quilibet, etiam specificis, & individua mentione & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cause propter quas ipse praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, & justificatae non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, individuaque expressione, requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad-viam, seu terminos juris, vel Constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem praesentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros

effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque praerogativa, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cui-libet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provincialium, ac Conventuum hujusmodi aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Ordini, & Provinciis, ac Conventibus, illorumque respective Magistro Generali, & Provincialibus, aliisque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specificis, & expressis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exequitativa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore, permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis presentibus si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIV. Jun. MDCXCV. Pontificatus nostri An. Quarto.

C V I.

Confirmantur quaedam Decreta Capitul. Gener. Monachorum Ord. Cluniacensis. Dat. 21 Junii 1691. An. 4.

De reformatione horum Monachorum vid. Nic. IV. Consl. ed: 1289, Sep: 12, P. 2.

chos ejusdem Monasterii, qui quidem personam idoneam deligere tenebuntur infra sex menses a die vacationis computandos, & ad unum e Novitiis mittere sic delectos, habitu regulari per Priorem loci induendos infra idem tempus; alioquin ne numerus Monachorum minuat, de eis providebitur per Abbatem Cluniacensem. Quod observandum censuimus non obstante quocumque pacto, conventionem, aut consuetudine in contrarium, quæ potius corruptela, quam consuetudo nominanda est.

De receptio-
ne eorum, qui
beneficium vel
Officium Ord.
Cluniacensium
nati sunt.

§.6. Nullus etiam in Ordine quocumque, etiam S. Benedicti expresse jam professus, & Provisus a Sancta Sede Apostolica, vel a Collatoribus Ordinariis de Beneficiis, aut Officiis Claustralibus Ordinis Cluniacensis, admittatur in Ordine nostro vigore præfatarum provisionum, nisi vellet prius in Novitiis Ordinis, ut in primo articulo ordinatum est, novam probationem inchoare, & perficere, & anno elapso subijci examini Conventus Monachorum Monasterii, in quo Novitiatum compleverit, ut in primo articulo sancitum est. Et si contigerit a Capitulo susfragis, & votis majoris partis capcem, & idoneum non reperiri, tunc secedere ab ordine teneatur, & Beneficia, seu officia cedere infra sex menses a die repudiationis ejus ipsi intima computandos, alioquin præfato termino elapso vacare prædicta Beneficia, & Officia censeantur. Idem omnino Statutum est circa illos, qui sub spe, aut sæpius prætextu melioris frugis in eadem d. regularis discipline amplectenda voto, provisiones Beneficiorum regularium, aut officiorum Claustralium Ordinis Cluniacensis obtinent cum Decreto habitum Regularem suscipiendi, quos vulgo vocant: cupientes proficere. Qui omnino non admittantur nisi secundum formam superius prænotatam, & præscriptam. Et si capaces, & idonei reperti non fuerint, tunc Beneficiis, & Officiis suis cedere debeant infra terminum supra determinatum, alioquin vacare censeantur.

De Novitiis

§.7. Nullus sive Religiosus, sive Secularis poterit Novitiatum inchoare, & perficere nisi in Monasteriis ad id specialiter a Capitulo Generali designatis, in quibus delecti ad loca, seu ad mansiones Monachales, vel de Beneficiis, aut Officiis Claustralibus provisi, sub literis authenticis sigillo Conventus munitis, aut in casu negligentia Abbatis Cluniacensis ad probationem recipiuntur, & habitu Regulari per Priorem Monasterii induuntur, annoque Novitiatum expleto ut supra statutum est, ad Professionem Monasticam admittentur secundum Statuta.

De numero
Monachorum
cotique con-
servacione.

§.8. Quia compertum est Divinum cultum vix posse observari, & Divinum Officium celebrari, neque etiam observantiam Regularem facile posse teneri in Monasteriis, in quibus sufficiens numerus Monachorum non est, statutum, & ordinatum fuit in qualibet Provincia certa Monasteria eligenda pro opportunitate situs, & ædificiorum, in quibus stabilitate numerus decem, aut ad minus octo Monachorum. Et si redditus, proventus, & obventiones Monasteriorum sic delectorum non valeant sufficere ad talem numerum sustentandum, tunc augeantur, vel per unionem, & suppressionem Sacristiarum, cæterorum Officiorum Claustralium aliorum Monasteriorum, aut Prioratuum. Et si illud commode fieri non poterit,

saltem per translationem eorumdem Officiorum, & per appellationem, & incorporationem portionum, aut mensarum Monachalium, & quia ad Divini Cultus augmentum certum numerum Monachorum alendum, quilibet, & singuli Priores Ordinis ex primæva eorumdem Prioratuum fundatione, seu erectione tenentur, & cum nulla possit adversus Deum, & leges fundationi addictas præscriptio opponi, visum est certas regulas statuendas sub quibus hujusmodi applicatio mensarum, & unio Officiorum possit fieri.

De quorum-
dam Monaste-
riorum con-
tributione, e-
jusque execu-
tione.

§.9. Ideo statutum est nihil omnino a Prioratibus, & Monasteriis ejusdem Ordinis sub nomine portionum Monachalium exigendum in quibus actu, & de facto, & a quadraginta annis amplius, & retro nulla mensa, aut portio Monachalis præstita est, & quorum insuper redditus, proventus, jura, & obventiones, deductis oneribus realibus, non ascendat ad summam mille, & ducentarum Librarum. Quo ad vero cæteros Prioratus, & Monasteria Ordinis, subjiciuntur contributioni eorumdem portionum Monachalium, ea tamen lege, ut semper salva, & illata remaneat apud eosdem Priores, qui ejusmodi contributioni, ut supra ordinatum fuit, subjecti non fuerunt prædicta summa mille ducentarum Librarum, nec possint ultra tertiam partem reddituum mensæ Monachorum, destinatum gravari. Et quia ad id opus complendum, quod omnino cultui Divino restituendo, & disciplinæ regulari in Ordine restauranda congruens, & necessarium judicatum fuit, multi Contradictores poterunt inveniri, supplicatum est Eius Cardinali, ut ad id adhibeat, & Pontificiam auctoritatem, quam humillime totum Capitulum Cluniacense supplicat ab Apostolica Sede postulat. Insuper procurabit Eius Cardinalis, ut a viris providis inquiratur cito citius de redditibus, juribus, & proventibus cujuslibet Prioratus, ut possint illius celsitudini suppetias terre. Et providebit etiam ne sub prætextu ejusmodi unionum, incorporationum, aut applicationum mensarum Monachalium fundationes, que in quolibet Prioratu debent a Prioribus, vel Monachis specialiter peragi, cæteraque eorumdem Prioratuum onera, & servitia, propterea defraudentur.

De vita com-
muni.

§.10. In posterum Monachis in Monasteriis particularibus degentibus pensiones personaliter non solventur; sed redditus omnes, qui ipsis a Prioribus pro sustentatione erogantur, vel de mensa ad eos spectante quoquo modo proveniunt in communi reponuntur per Cellarium, aut Procuratorem in Capitulo a Conventu eligendum, ministrandi ad necessariam in vita communi sustentationem Monachorum. Decernimus quoque quod pro Vestuario, loco pecunia vestes, aliæque res necessaria Superioris paternæ providentis auctoritate per eundem Cellarium, aut Procuratorem deinceps subministrantur omnibus, tantumque in iis rebus quotannis pro Superioris providentia impendatur, quantum singulis Monachis numerata pecunia preberi consuetudine fuerat: mandantes item, ut quæcumque perniciose aliquid sibi tanquam suum, sibi que proprium habendi cupiditati favere visa erunt, omni studio penitus refectentur. Cellarius autem, aut Procurator quoties liberit Conventui, aut ad minus quolibet anno, & sine ulla

ulla mora receptorum, & expensarum rationem coram Priore, & Monachis ad id a Conventu deputatis reddere exacte, & fideliter tenebitur. In iis Monasteriis in quibus Officarii Claustrales alique beneficia in titulum habentes consueverunt suorum Officiorum, aut Beneficiorum proventus administrare, talem administrationem non exercebunt, nisi cum onere, & debito reddendi rationem quotannis saltem Superioribus suis de usu eorumdem proventuum prædictorum Officiorum, aut Beneficiorum in exequendis debitis oneribus, elemosinis largiendis, & aliis impensis faciendis.

De celebra-
tione Capitu-
li Gen.

§.11. Capitula generalia diutius intermissa, celebrabuntur exacte, ut Canones Ecclesiæ, & Sacrum Concilium Tridentinum præcipiunt, in posterum singulis triennii Dominica tertia post Pascha, in qua cantatur pro introitu Missæ: *In bilate*. Quæ quidem Capitula per præcedentia indicentur, & ad quæ omnes tam Abbates, quam Priores, & Decani Conventuum actu habentes, exclusis omnino Prioribus cæteris, absque ulla alia indicatione, aut convocacione conveniant, adeo ut omnes ipso Sabbato ante prædictam Dominicam adsint, nec quisquam ante feriam sextam adventare præsumat. Prohibitum est ne in posterum ad Capitula Generalia a Conventibus deputentur, & mittantur Monachi, quos vocant Conventuales, nisi in casibus, qui tanti sint momenti, ut Vicarii Generales, aut Visitatores sic ordinandum duxerint.

De obedien-
tia Monacho-
rum.

§.12. Professio Religiosa deinceps in toto Ordine pro singulis Monasteriis emittetur sub obedientia Superiorum, a quorum obedientia sub eo prætextu se se subtrahere non poterunt. Sed Superioribus majoribus, aut Visitatoribus sine contradictione obtemperabunt cum ipsis utile, aut necessarium visum fuerit eos mittere ad alia Monasteria in eadem Provincia: aut etiam extra eandem Provinciam, cum Abbates Cluniacenses, aut Capitula generalia sic duxerint de iis disponendum.

De Prioribus.

§.13. Omnes Priores Claustrales in Capitulis generalibus, aut conservabuntur, aut destituentur, prout Diffinitores judicaverint, eos debere aut conservari, aut destitui. Et si aliqui stare iudicio Diffinitorum renuerint, Eius Abbatis, qui nunc est, aut successorum Abbatum interposita auctoritate tali se iudicio subijcere compellentur.

De Collegiis
præfatis Pa-
risien.

§.14. Statutum est Administrationes Collegiorum Ordinis, & præcipue Collegii Parisiensis, de quo nunc provisus est Dominus Ludovicus Moreau, qui illud provide, solerter, & sagaciter rexit, & gubernavit, non esse deinceps in titulum Beneficii conferendas, aut committendas. Sed post obitum illorum quibus de iisdem in titulum provisum fuit, in commissionem, & simplicem administrationem nutu Abbatis Cluniacensis amovibilem reducendas, prout jam ordinatum fuit in Capitulo Generali anni 1600. Cui quidem Decreto idem Dominus Ludovicus Moreau propter bonum Ordinis consensit, ea tamen lege, ut sub nullo prætextu possit ejus vita durante turbari in administratione bonorum ejusdem Collegii. Quod omnes approbamus, ob cogitatum ejusdem, jam in Ordine Cluniacensi in rebus agendis, & administrandis bonis Collegii solertiam, & singularem providentiam. De qua ei totus Ordo debet gratias rependere,

& Capitulum Generale gratulatur. Ut faciliorem, & commodiorem in prædicto Collegio Parisiensi mansionem inveniant Monachi Ordinis, qui ad illud studiorum causa mittantur, statui- mus, ut præter Priorem, seu Administratorem Collegii, & alios Officiarios, & burfarios, & Monachos actu in eodem Collegio studentes, nullus possit sub quocumque prætextu habitationes, seu Mansiones in eodem Collegio sibi reservare, & qui illas obtinent, aut obtinuerint secedere teneantur in Monasteria, in quibus ratione suorum Officiorum, aut Beneficiorum debent commorari.

De Monaste-
riis Nobilit.

§.15. Cum Ordo Cluniacensis magis Gallicæ Nobilitati debeat, quam quilibet alius Ordo, Statutum est, ut certus numerus Monasteriorum recipiendis Nobilibus destinetur, in quibus si soli recipiantur, qui facta probatione, vera, & indubitata nobilitate reperierint insignitæ, quæ quidem Monasteria designabit Eius Abbas, & in quibus admitti, seu recepti nobiles eam vivendi formam, quam invenerint sequentur.

De habitu, &
egressu e Mo-
nasterio.

§.16. Cum nihil magis congruum sit Monacho, quam, ut habitu exteriori uniformitatem vite cum aliis indicet, & demonstret, statui- mus, ut omnes, qui deinceps in Ordine recipiuntur, uniformem habitum deferant, cujus formam Eius Cardinalis Abbas designabit. Omnes quoque Monachi Ordinis vestes longas, seu talares, & Regulares in Monasteriis, & locis Residentiæ deferant sub pena excommunicacionis contra aliter facientes, cujus absolutio soli Priori Claustrali reservatur, prout ordinatum reperimus in Statutis Capituli anni 1458., & renovatum in Capitulo Generali anni 1676. In itinere autem vestes deferant, ut in præfato Capitulo præscriptum est. Quisquis autem sine Regulari habitu, videlicet Scapulari super vestem ab anteriori parte, & posteriori ita dependente, ut appareat sine ullis omnino globulis, reperit fuerit etiam in itinere penis prædictis Statutis latis subijcetur, & omnibus Superioribus injungimus, ubi aliquos hujus ordinationis prævaricatores invenerint eos excipere sicut tanta inordinatio meretur. Eos declaramus incidere in casus reservados Abbati Cluniacensi, & Vicariis Generalibus, & Visitatoribus in actu Visitationis, a quibus solis possint absolvi, qui, quod Deus avertat, in tabernis manducare, aut bibere præsumerent in locis sue residentia, aut in eorum vicinia, quæ quidem vicinia designabuntur a Visitatoribus Provincie. Nec ullus Monachus sine licentia Prioris Claustralis, ut habet Regula, claustra, seu septa Monasterii egrediatur.

De vita com-
muni in om-
nibus Mona-
steriis.

§.17. Cum nihil vite Monasticæ conformius, & magis ad conservandum paupertatis Religiosæ Spiritum necessarium, quam vita communis: ordinamus talem vitam in omnibus omnino Monasteriis instituendam ubi non est, omnesque redditus in communi reponendos. Si tamen ut fieri potest propter locorum dispositionem aliquibus in Monasteriis, aut proventus diminutionem, Statutum hoc nequiret servari, quantum fieri potest loca in eum Statutum restituantur, ut observetur.

De litibus in-
ter se, vel Mo-
nachos inter, &
extra.

§.18. Licet in præcedentibus Capitulis Generalibus sancitum fuerit inter Monachos Ordinis pacis, & concordie causa omnes lites amputandas, ideoque statutum fuerit ubi aequalis, vel